

Les sources manuscrites de la théorie de la musique  
(S. IX-XVI)

---

PARIS, Bibliothèque nationale de France (*F-Pn*)

Département de la musique, Rés. 359, f. 1v-5r

Transcription : Shin Nishimagi  
décembre 2005

<*Dialogus de musica* (exc.)>

Cf. *GS* 1, p. 259a-263b [11-18].

\* additions de seconde main

<1v><sup>1</sup> Primus tonus finitur in voce quarta, proceditque in undecima, in  
qua est eadem littera, per tonos et semitonos ita : post finem primo tonus  
occurrit, deinde semitonium, et II toni ac iterum semitonium, et toni duo.

1 p.c. II ] a.c. tres cod.

<sup>2</sup> Deponitur a fine ad vocem tertiam tono uno, hoc modo:

*tonu tonus sem. tonus tonus sem. tonus tonus*  
*s*  
*C D D E F F G a b c d*

<sup>3</sup> Qui autem decacordum volunt facere, adiciunt secundam vocem, sed  
non est in usu ut ad eam primus modus deponatur.

<sup>4</sup> Incipit autem cantus eiusmodi in .C. ut *O beatum pontificem*, sepius  
autem in .D., quando concordat principium cum fine, ut *Ecce nomen  
Domini*, in .E., quoque sed raro, ut *Gaudete in Domino*, in .F. ut *Ipsi soli*,  
in .G., quoque sed raro, ut *Canite tuba*, in .a. etiam ut *Veniet Dominus*.

4 ut Canite ] u. Canite  
cod.

<sup>5</sup> Secundus autem modus similiter finitur et ascendit cum eo usque  
nonam primam .b., ad decimam vero .c. et undecimam .d. non pervenit.

<sup>6</sup> Deponitur autem a fine tono, semitonio et tono usque ad primam .A.  
aliquando autem ad .G., sed raro, et fiunt X cordae illius secundi modi.

*tonu tonu sem tonu tonu sem tonu tonu sem*  
*s s . s s . s s .*  
*Γ A B C D E F G a b*

<sup>7</sup> Habet itaque secundus .Γ., primam .A., secundam .B., quas non habet  
primus, et primus habet decimam .c. et undecimam .d., quas non habet  
secundus.

7 undecimam ] XI cod.

<sup>8</sup> Sunt autem plurimi eorum cantus, qui ad .Γ. et primam .A. et  
secundam .B. non deponuntur, ad decimam .c. et undecimam .d. non  
elevantur, de quibus dubium est, an primi an secundi sint toni. <sup>9</sup> Quorum  
ista discretio est : <2r> ad octavam et nonam si non ascendunt,  
certissime de tono secundo sunt. <sup>10</sup> Erunt itaque octava et nona utriusque  
communes, ad quas dum cantus ascendit, si diu in eis permaneat, sive

tertio vel quarto repercutiat, aut si in octavam incipiat, modi primi erit.

<sup>11</sup> Sin autem in inferioribus incipiat, et secundum quantitatem antiphonae rarissime ad illas, secundi modi erit. <sup>12</sup> Alioquin iuxta formularum differentias vel varietates discernetur.

<sup>13</sup> Principia autem secundi toni sunt in <.A., .C., .D., .F.>; in .A. ut *Omnes patriarche*, in .C. ut *Nonne cor nostrum*, in .D. ut *Ecce in nubibus*, in .F. ut *Quem vidistis pastores*. <sup>14</sup> In .T. vero .B. vel .E. vel .G. rarissime exempla reperies.

<sup>15</sup> De primi et secundi discretione sufficit. <sup>16</sup> Ad reliquam properandum est.

<sup>17</sup> Tertius modus in quintam finitur vocem, in .E. litteram, proceditque uno dyapason usque ad eandem .e. per tonos et semitonios ita: primo semitonium, deinde tres tonos ac semitonium et duos tonos. <sup>18</sup> Deponitur vero a fine ad quartam tono uno, hoc modo:

<i>tonus</i>	<i>sem.</i>	<i>tonu</i>	<i>tonu</i>	<i>tonu</i>	<i>sem</i>	<i>tonu</i>	<i>tonu</i>
		<i>s</i>	<i>s</i>	<i>s</i>	.	<i>s</i>	<i>s</i>
D	E	F	G	a	<u>h</u>	c	d

<sup>19</sup> Sane ideo adamavit secundam nonam .h., quia ad eius finem dyapente est, maxime autem ideo, quia ad acutissimam eius, id est .e. dyatessaron reddit. <sup>20</sup> Quia autem prope finem tres tonos habet, in descensione vel ascensione potius <2v> saliendo quam gradiendo vadit.

<sup>21</sup> Usitata autem eius principia sunt haec in .E., <.F.>, .G., <.c.>; in <.E.> ut *Quando natus est*, in <.F.> ut *Nunc scio vere*, in <.G.> ut *Multa quidem*, in <.c.> ut *Tertia dies*.

<sup>22</sup> Quartus modus, quia planus est, non fecit prope finem tres tonos, ideoque primam nonam <.b.> assumpsit, ascenditque ad decimam .c., habens post finem semitonium et duos tonos, deinde semitonium et tonum. <sup>23</sup> <D>eponitur vero a fine duobus tonis ad tertiam <.C.>, plerumque ad secundam <.B.> et primam <.A.> aucto tono et semitonio, quia ad finem secunda dyatessaron et prima dyapente consonantiam reddit. <sup>24</sup> Fiuntque voces X per tonos et semitonios incedentes hoc modo :

<sup>25</sup> Principia eius inveniuntur in <.C.>, .D., <.E.>, .F. <.G.>; in <.C.> ut *Homo erat*, in <.D.> ut *Prope es tu*, in <.E.> ut *Gaude Maria*, in <.F.> ut *Iudea*, in <.G.> ut *O mors ero, Benedicta tu*.

<sup>26</sup> Discernitur quartus modus a tertio, quia quartus habet primam, secundam, tertiam, quas non habet tertius, et tertius undecimam et duodecimam, quas quartus non habet. <sup>27</sup> Quod si aliqua antiphona neque has tertii, neque illas habet quarti, si in decima incipiat, vel si secundam nonam amplius diligat, tertii erit. <sup>28</sup> Alias in quarto ponitur, si eius formulae differentias imitetur.

<sup>29</sup> Volunt autem quarto modo ad similitudinem tertii secundam nonam tribuere <3r>, eo quod dyapente sit ad eius finem, prima vero nona ad

<sup>19</sup> secundam nonam .h.]  
secundam .h. nonam <>  
*cod.*

<sup>22</sup> primam nonam <.b.> ]  
primam <> et nonam

<sup>25</sup> Prope es tu ] Prope  
estu *cod.*

<sup>31</sup> ipsam .b.] ipsa .b. *cod..*  
decacordum ] a.c.  
*decardum cod.*

eius finem nulla consonantia fit.<sup>30</sup> Sed magis nos communem usum secuti sumus.<sup>31</sup> Invenimus praeterea in difficilioribus cantibus ipsam .b. iungi tertio modo ad terciam vocem, ut sit decacordum, quod tamen cum rarissime fiat, abusivum esse non dubito.<sup>32</sup> Neque enim a tertia in duodecimam ter dyatessaron invenitur, secundam predictam decacordi regulam.

<sup>32</sup> duodecimam ]  
decimam cod.  
<sup>34</sup> inveniatur] a.c.  
inveniunt cod.

<sup>33</sup> Cum multi sint grammatici, aut vix aut nunquam veraces inveniuntur libri, maxime dum sepe in eorum emendatione laboretur,<sup>34</sup> musici perpauci inveniuntur, et per multa iam tempora antiphonaria emendata non sunt, non est ergo mirum, si in multis locis falsitas inveniatur.

<sup>35</sup> Tantum precor, regulam et communem usum exequere.<sup>36</sup> Quae enim rarissime fiunt, nullius artis solet regula approbare.

<sup>37</sup> Quintus modus in sextam terminat, et acutissima eius tertia decima <.f.> eadem littera figuratur.<sup>38</sup> Et ipsa sexta iungitur primae nonae per dyatessaron, et ipsa prima nona iungitur tertiae decimae per dyapente.

<sup>39</sup> In quinto igitur vel sexto prima nona valebit.<sup>40</sup> Habebit ergo per ordinem tonos duos et semitonium ac deinde tres tonos et ultimum semitonium octo vocibus, ita : <3v>

<sup>41</sup> Usitata autem eius principia sunt in .F. ut *Haurietis aquas*, in .G. raro *Non vos relinquam <c>ommunio*, in <.a.> ut *Quinque prudentes*, in <.c.> ut *Ecce Dominus*.

<sup>42</sup> nec ] nec nec cod.

<sup>42</sup> Nam quia tonum ante finem non habuit, nec in principio nec in incessu post se respexit.

<sup>43</sup> Sextus vero graditur cum eo ad undecimam .d., sed deponitur a communi fine semitonio et duobus tonis ad tertiam, hoc modo :

<sup>44</sup> Sicut quintus habet duodecimam <.e.> et tertiam decimam, quas non habet sextus, ita sextus habet tertiam, quartam, quintam, quas non habet quintus, miscetur sexto quintus declinans in quartam, fitque decacordum.

<sup>45</sup> Sed hoc inveniri, maxime in antiphonis, contingit raro.<sup>46</sup> Horum autem ista discretio erit : cum nec depositio sexti, nec tota elevatio fuerit quinti, si in decima incipiat et eam vel undecimam iuxta quantitatem suam sepe repercutiat, quintus erit modus.<sup>47</sup> Si autem non ascendit nisi ad nonam .b., dicetur de sexto.<sup>48</sup> Sive per principia discernetur.<sup>49</sup> Vix enim sextus nisi in suo fine incipit ut *Verbum caro factum est*, aut in voce quarta ut *Si ego verus Christi*.

<sup>50</sup> Utilia, immo et necessaria probantur esse ad presentis erroris expobationem de modis quae dicta sunt.<sup>51</sup> Unde sicut ceperas de septimo et octavo tono me cupiente audire non differas <4r>.

<sup>51</sup> caractere ] carectere  
cod.

<sup>52</sup> Septimus modus in voce septima terminatur, cuius acutissima est quarta decima <.g.>, quae cum fine et eodem caractere denotatur.<sup>53</sup> Hic habet nonam secundam, ut habeat duos tonos post finem, post quos semitonium et duos tonos ac iterum semitonium et unum tonum.

<sup>54</sup> Deponitur vero a fine tono uno, hoc modo:

<sup>55</sup> Quod si decacordum placeat facere, unum ei semitonium adhuc a fine adiunge ad quintam.<sup>56</sup> Non tamen frequenter hoc invenies.

<sup>57</sup> Notandum autem est quod : si ei prima nona concedatur, nichil restat nisi ut a duodecima ad eam dyatessaron fiat et ad semitonium contrahatur, eritque per omnia primus, quia habebit tonum et semitonium sicut in primo dictum est, et iam non erit septimus, sed primus.

<sup>58</sup> <N>on enim nocet, ut stultissimi cantores putant gravitate vel acumine unum modum ab alio discrepare.<sup>59</sup> Nichil enim impedit, quaecumque modum volueris si acute decantaveris, id est primum in .a., tertium in .h., quintum in .c., nisi quia pauciores voces habent.<sup>60</sup> Sed tonorum et semitoniorum, quibus et aliae consonantiae fiunt, diversa positio diversos ab invicem ac differentes modos constituit.<sup>61</sup> Iterumque si una tantum voce depravata finiatur in octavam, rursus fit per omnia primus.<sup>62</sup> Habebit a fine tonum et semitonium et duos tonos et reliqua, sunt primi.

<sup>63</sup> Principia autem sunt haec: <4v> in .F. vix exempla reperies, in .G. ut *Assumpta es [sic] Maria*, in .a., raro invenies, ut *Domus mea*, in h ut *Dixit Dominus*, in .c. ut *Benedicta filia*, in <.d.> *Sit nomen Domini*.

<sup>64</sup> Octavus procedit cum septimo usque ad duodecimam .e.<sup>65</sup> Deponitur autem ad tertiam .C. tono semitonioque et duobus tonis, fitque decacordum hoc modo:

<sup>66</sup> Supradiximus autem huiusmodi decacordum ter dyatessaron non habere.<sup>67</sup> Ideo non recipitur utraque, id est acutissima et gravissima eius in uno cantu, ut quibusdam placet.<sup>68</sup> Perspicuum est quod octavus tonus est in depositione a fine per omnia secundus, quod, si ei in elevatione prima nona daretur, ut haberet tonum et semitonium et duos tonos, a fine, etiam in elevatione secundus permaneret.

<sup>68</sup> octavus ] octovus *cod.*

<sup>69</sup> Sed deridenda inertium cantorum scurrilitas.<sup>70</sup> Quia de modorum discretione nichil sentit, id solum sequitur quod aliquomodo aures delenire videtur, sicut qui castrimargiae inserviunt, et per falsam dulcedinem, veram sobrietatis regulam fallunt.<sup>71</sup> Invenitur praeterea, octavus ad quartam descendens, cum tertiam decimam, quae iure est septima, appetat, ac sibi regulare decacordum tanta presumptione, licet raro, restituat.

<sup>72</sup> Principia eius sunt in <.D.> ut *Virgines*, in <.F.> ut *Hodie Maria*, in <.a.> ut *Completi sunt*, in <.c.> ut *Ecce ancilla* <5r>.

<sup>73</sup> Differt vero octavus a septimo, quia octavus habet tertiam, quartam et quintam, quas non habet septimus, ut septimus habet tertiam decimam et quartam decimam, quas non habet octavus iure.<sup>74</sup> In reliquis modis quoque dictum est secundum formularum varietates.<sup>75</sup> Per ipsas quoque varietates unicuiusque modi principia liquido pervidebis.

<sup>75</sup> pervidebis ] previdebis *cod.*